

## Proœmium ad Lectorem.

*um*, de eius sacerdotio & regno sempiterno, & morte acerbissima: de veteris legis abrogatione, & euangelio per vniuersas terrarum oras longe lateq; propagando: de Iudæorum obstinatione & perfidia, de Antichristo, de mortuorum reditu ad vitam, & de ultimo atque supremo iudicio. Et quia in Hebræorum codicibus non reperitur hymnus trium puerorum, nec historia Susanna, nec Belis & draconis, existimauerunt nonnulli, non esse hæc tria inter sacras & canonicas scripturas numeranda. At longe opinione fallimur. Theodotio enim hæc tria transtulit ex Hebræo, aut Chaldæo, ut credibile est, quemadmodum alia. Et quamuis in libris Hebræicis qui modo extant, hæc tria non inueniantur, satis tamen est inueniri Græcè in translatione Theodotianis, & Latine in nostra vulgata editione, illisq; semper usam esse ecclesiam catholicam, fuisseq; perpetuè à patribus recepta, & à viris illis comprobata, & literis illustrata, qui fidei, cæterarumq; virtutum præstantia nomen suum immortalitati commendauerunt, & fontes vtriusque philosophiæ aperuerunt. Diuus Athanasius in Synopsi docet omnia hæc tria ab ipso Daniele scripta esse, & inter canonicas scripturas recepta. Origenes tractatione 31. in Mattheum testatur esse hæc in ecclesia à principio summa cum veneratione retenta: In eadem sententia est diuus Hieronymus in quadam aduersus Rufinum apologia. Diuus Augustinus historiam Susanna exponit tractatione 36. in Euangelium Ioannis: & sermone 242. Tomi 10. Diuus Ioannes Chrysostomus duabus homily: trixim puerorum hymnum mirabiliter explanat. Diuus Ignatius martyr qui fuit tempore apostolorum in epistola ad Magnesianos, & diuus Cyrillus Alexandrinus laudant & inuentur historiam Susanna: & Rufinus Aquileiensis libro secundo in Stridonensem, ait hymnum trium puerorum ab exordio nascentis ecclesia semper fuisse in conuentibus fidelium decantatum. Eum approbat & recipit quartum concilium Toletanum, quem ait à tota catholica ecclesia celebrari. Et modo sanctum concilium Tridentinum Daniele integrum cum omnibus suis partibus, ut in ecclesia catholica legi solet, & in vetere vulgata Latina editione habetur, pro sacro & canonico suscepit, & approbavit. Aduersus hunc Danielis librum scripsit impius Porphyrius: sed eius calumniis Apollinarius, Eusebius Cæsariensis, & Methodius grauius & sapienter responderunt. Itaque diuinus noster vates Daniel, quæ eum Spiritus sanctus docuit, perpetuis monumentis consignauit. Ac qui in maxima celebritate,

Theod.

Athana.

Origen.

Hieron.

August.

Chryso.

Ignat.

Cyrril.

Ruffin.

Porphy.

Apoll.

Euseb.

Metho.

Dan. 6.

Dan. 14.